



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

50. Lembla famulus operibus à Domino præceptis functus multum pecuniæ lucratur arte suâ alijs laborando, quam pecuniam sibi reseruare potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

L. Lembla famulus peractis operibus à Domino preceptis multum pecunia lucratur per annū arte suā, laborando alijs pro pretio, quod nesciens dominus pecuniam illam ab eo exigit, aut stipendium promissum eidem denegare vult. *Quæritur.* Verum Lembla pecuniam extraordinario labore partam reddere domino debeat?

Videtur teneri. Nam par est ratio huius famuli mercede conducti, atque aliorum servorum; hos autem domino acquirere, quidquid acquirant, habetur in §. *item nobis. Instit.* per quas personas nobis acquiritur &c. & cum alijs Authoribus docet Card. Lugo *Disp. 3. de just. num. 45.*

Resp. Lemblam non teneri reddere Domino pecuniam extraordinario labore citra detrimentum sui famulatūs partam: nec dominum absque iniuria eandem exigere ab eo posse. Ita Molina *de just. Tom. 1. Tr. 2. D. 38.* Fagundez *in Decalog. Tom. 2. lib. 7. c. 12. n. 7.* P. Nauarrus *de Restit. l. 3. c. 1. num. 219.* & alij. Ratio est, quia Lembla absolutè est capax dominij, & vi contractūs cum domino initi, tenetur solū ad operam à domino præscriptam. Ergo si ultraneo labore alijs exhibito aliquid acquirat, verè sibi acquirat; aliàs instar fundi, prædij, ac iumenti se haberet, quæ semper domino fructificant; quod nec *de mancipijs* dici potest, cum & ista dominij capacia sint, ut constat *ex l. 53. ff. de judicijs.*

vbi datur seruis actio contra dominos, si dicant, quod suis nummis se redemerint, & contra fidem datam manumissi non fuerint. Quare si dominus vi pecuniam aufert, aut stipendium negat, potest Lembla occultâ compensatione uti, sicut docet Lessius *lib. 2. de just. c. 4. dubit. 4 n. 17.*

Ad argumentum in oppositum negamus in primis paritatem, quia Lembla, etsi famuletur, absolutè tamen liber est: non autem sic liberi sunt serui propriè dicti, qui idcirco sicut libertatem, ita jus sibi aliquid acquirendi perdidisse videri possunt. Deinde dicimus, etiam mancipia perditâ libertate non prorsus simul omnia iura perdidisse, vt patet *ex l. 53. cit. adedque sibi etiam acquirere perinde, vt alij famuli, quidquid simili labore extra operam domino debitam acquirant, vt docent cit. Authores.* Iura, quæ statuunt, seruos Domino acquirere, quidquid acquirant, intelligenda sunt, inquit Molina *loc. cit.* regulariter: vel certè, vt tenet Wiggers *Tr. 1. de just. c. 3. n. 18.* per consuetudinem sic mitigata sunt.

LI. Leonides vir diues & absque liberis promittit Diomedii amico suo, quod velit ipsum heredem instituere, & iuramentum addit, se testamentum conditum non reuocaturum, quam tamen reuocationem postea facit à quibusdam ad id persuasus. Queritur. Vtrum Leonides reuocationem testamenti sui contra iuramentum suum licitè fecerit?

Vi.